

*Civile Romanum per L. un. §. in novissimo 5. vers. hereditatem enim, §. cum autem in superiore 13. C. de Cad. toll. l. 19. C. de jure delib. L. 3. C. eod. L. 84. ff. de acquir. vel omitt. hered. L. 8. C. de suis & legit. Vasquius d. l. §. 6. num. 1. pag. 101. hanc insuper elegantem addit rationem, cur Transmissio pro Juris Civilis effectu & invento haberi debeat, quia scilicet & successio, cujus prorogatio extensio & continuatio est ipsa Transmissio, circaq; eam versatur, juri Civili sit adscribenda.*

16. *Subiectum Transmisionis, nunc venit perspicendum, quod constitui poterit duplex: Activum & Passivum. Illud sunt transmittentes heredes, hoc heredes Transmissarii. Utrumq; iterum duplici modo potest & debet considerari, tum in genere, tum in specie. In genere & remotivè seu per remotionem, & positivè, seu per positionem.*

17. *Subiectum Transmisionis activum positivum, aut affirmativum sunt ii, qui sunt ipsius Capaces successione, & habent Testamenti factionem passivam, h. e. qui jure defuncti existunt successores, sive sint masculi, sive sint fœminæ. L. un. C. de his, qui ante apert. tab. L. 19. Cod. de jure delib. L. 4. C. de Liber. præ. L. 8. C. de suis & legitimis hered. sive sint successores universales sive particulares, h. e. Legatarii. L. ab omnibus 104. §. cum quodam 6 ff. de Leg. 1. L. un. §. 5. Cod. de Caduc. toll. L. un. C. de his qui, sive sint heredes primo loco instituti, sive gradu secundo, h. e. substituti, quia & hi sunt verè heredes. L. 1. D. de vulgari & pupillari substitutione, & heredes heredis sunt quoq; heredes Testatoris L. fin. C. de heredibus instituendis, qui illo instituto simul quoq; instituti esse videntur. L. 3. ff. de jure Codicil.*

18. *Subiectum Transmisionis passivum positivum verum & legitimum sunt heredum heredes legitimi, qui non minus, uti ipsi heredes successione sunt Capaces, sive sint masculi, sive sint fœminæ. L. 9. ff. de jure fisc. L. 19. C. de jure deliber. L. 8. C. de suis & legit. L. un. C. de his qui eum, sive sint sui, sive sint extranei, d. L. 19. C. de jur. delib. ubi eam deliberationem in omnes successores, sive cognatos, sive extraneos duximus esse protelandam.*

19. *Subiectum Transmisionis & activum & passivum per remotionem consideratum, erunt ii omnes, ad quos nequit devolvi hereditas, & successores esse prohibentur. Imò & ad subiectum passivum ita consideratum pertinet persona Patris, qui utut aliàs Capax sit successione, non tamen Transmisionis, quatenus est pater, vel illius quæ sit*